

M. G.

Rubr. XVIII. Nro. 32. C


Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

De studio litterarum Græcarum
instituendo
Præcepta ad Discipulos,

Examini 1788, 10. Mart. hora 9. ant. habendo
præmissa
a C. F. R. Vetterlein, Rectore.

Cothenis impressit Schœndorf.



Litterarum Græcarum nomine hic nunc intelligimus omnem librorum Græcorum copiam, qui quidem ad nostra pervenerunt tempora. Latissime autem patent: cum ob multitudinem librorum (recenset enim Fabricius plus trecentis, quorum haud pauci satis ampli sunt) tum ob artium omnis generis rerumque in illis præstantiam, qualis in alia lingua exstat nulla. Græca igitur linguarum omnium princeps est, hominibusque eruditis utilissima, colenda & descendenda ob ipsas scriptorum suorum virtutes. Sed de laudibus Græcorum alias; nunc ad ipsa accedamus præcepta.

x. Primum igitur Græcitatis initium censemus

A 2

mus

mus præceptoris alicuius auxilio faciendum, qui
faltē pronuntiare litteras & legere doceat;
prima Grammatices elementa tradat, in exem-
plisque ostendat. Statim enim, post agnitionem
litterarum libellus aliquis legendus & Ger-
manice vertendus est. Sed quoniam non præ-
ceptoribus, sed discipulis, imprimis nostris scri-
bimus præcepta, hæc nunc jam omittimus. De
pronuntiatione tamen litterarum, optamus, ut
iuvenes statim ad antiquam enuntiandi rationem
ducantur, ab Erasmo restitutam: 'cum ob mul-
tas alias causas, tum quod illa altera a doctori-
bus iam magis magisque contemnitur.

11. Sed cum jam propriis viribus niti, præceptorisque ope formas vocum discernere & Læxico uti poterit, tum proprio etiam Marte Græca colere iuvenem oportet: sicque se componat, in animumque inducat, ut, nisi litterarum Græcarum scientia aliquantum auæta fuerit, sentiat se perdidisse diem. Discipuli enim est discere, ingeniumque suum excolere, quod fieri alia re melius non potest, quam Græcis legendis.

111. Sed cum his nostris qualibuscumque præceptis instituimus eum, qui omnem librorum Græcorum varietatem, si quando opus erit, facile legere & pro viribus ad usus suos convertere possit: ratione quadam & ordine progre-diamur. Dicemus igitur *primum* de subsidiis rebusve talibus, quibus via ad auctores legen-dos muniatur, *deinde* de legendis auctori-bus, & *quoniam* sint legendi, & *quomodo?* Subsidi-orum autem duplex genus est: nam sive ad sermonis peritiam sive ad rerum earum scienti-am spectant, quas scriptores legens non debet ignorare. Illa vocare licet *verbalia*, hæc *re-alia*.

1111. Subsidia igitur *verbalia*, sive linguae Græcae formam & materiam docebunt Gram-matica & Lexicon; sed ita utroque utendum est, ut lectionem auctorum, de quibus deinde dicemus, adiuvent, comitentur & semper ad manus sint, utque vel singulæ evolvantur res, ut in utroque, vel particula quotidie aliqua le-gatur, ut in Grammatica. Cum autem ingens sit Grammaticarum multitudo, indicare volumus

cortam aliquam, qua tirones utantur; atqui in reliquis quoque huius institutionis partibus certos semper libros indicabimus tironibus. Nam hi cum ipsi deligere nondum possunt, ineptum est, multitudinem librorum in quovis genere iis propinare, ut vidimus, qui ad antiquitates Græcas discendas illis & alios & vastum illum Grævii thesaurum commendaret. Probatur igitur nobis Grammatica Halensis, in scholis plurimis recepta: nam brevis est & lucida. Sed primam tantum partem, scilicet etymologicam laudamus: syntaxin habet nec plenam nec utiliem. Primum igitur, quoniam paradigmata iam a præceptore edoctus est, ea, quæ de contraktione & mutatione litterarum (p. 10—14.) traduntur, diligenter perlegat discipulus; haec enim in omnibus, imprimis in verbis, magno erunt usui; hisque probe cognitis in Lexico verborum themata reperire poterit. Deinde in legendis primis auctoribus semper ad manus sit illud de verbis defectivis caput, ut ubique tale aliquod verbum occurrat, in grammatica sua evolvat, quodnam sit tempus, a quo-

[nam]

nam etymo deductum. Quibus fideliter factis
 iam difficiliora sciet omnia; in his vero rudis,
 nunquam egregios in Græcis habebit profectus.
 Cum deinde ad primum ionicæ dialecti scrip-
 torem ventum est, paradigma secundum diale-
 ticas formas pertractandum sæpiusque consu-
 lendum est: & non multum temporis laboris-
 que opus erit ad omnes differentias dialecto-
 rum cognoscendas. Sed post hæc tirocinia ad
 pleniores ubioremque Græcitatis scientiam
 adspiranti opus est Grammatica meliori & ea,
 quæ copiosius solidiusque de ratione & ordine
 vocum construendarum præcipiat. Atqui ta-
 lem nos quidem laudamus Marchicam maio-
 rem, quæ Leonhardi Frischii & Elsneri Beroli-
 nensium debetur studiis. Hanc igitur com-
 mendamus cum ob rerum exemplorumque co-
 piam, tum imprimis ob idiomatum, quibus hæc
 lingua abundat, expositionem; habet enim præ-
 cipua cognituque utiliora de particulis, idiotis-
 mis, ellipsisbus, quibus de rebus singulares com-
 mendari ab aliis solent libri, iisque non contem-
 nendi, sed qui ita scripti sunt, ut adolescentes
 nimis defatiget eorum lectio, omnemque inge-

nii quasi succum bibat. Quamobrem optamus, ut ex Germanis nostris aliquis, utriusque linguae peritus, libros de quibus loquimur Devarii, Vigerii, Hogevenii in meliorem ordinem redigere, superflua, quæ multa sunt, recidere, omnia, quæ bona præcepta & exempla inveniat, Germanica interpretatione illustrare, sive opere mirifice utili studia humanitatis velit adiuvare. Patria cum lingua uti volumus. Nam si talia grammaticorum præcepta iam per se satis sicca & difficilia, lingua Latina tradita sibi vident, nimis ab iis deterreri solent iuuenium animi. — Unum aliquod restat grammatices studioso dandum consilium. Compendia illa scribendi, in antiquis editionibus obvia, statim in ipso initio discenda sunt; res non adeo multi laboris, quæ tamen, (nam olim omnino necessaria est) maius crearet tedium, cum ad graviora ventum est; quin, ut videbimus infra, vel incipienti poterit esse perutilis.

v. In Lexico autem Græcitatis studiosis commendando iam esse possumus breviores. Nam qui, ut diximus, prima lingue elementa à magi-

magistro quodam edoſtus, mutandarum litterarum rationem in grammatica sua didicerit, hic usus lexici, etiam maioris erit facilissimus; praceptis autem grammaticis deſtitutus verba nulla in origines suas resolvere, nullumque lexicon unquam facile poterit adhibere. Erit autem ex duobus eligendum alterum; aut Scapulæ aut Hederici Lexicon: quorum posterius prioris est breviarium, paullulum auſtum, multis vitiis inquinatum. Scapula igitur, qui diligenter annotavit, ut pro varia ratione ſtructuræ varias habeat vocabulum quodque ſignificationes (quod cum sit maximi momenti, Hedericus aliique omilerunt) easque singulas bonis illustrat exemplis, interpretatione etiam Latina adiecta, is igitur merito adolescenti Græcarum litterarum amanti debet eſſe in usu.

vi. Veniamus ad *ſubſidia realia*: quarum quatuor constituimus genera. Unum eſt memoria rerum a Græcis gestarum, altera Geographia antiqua, tertium Antiquitates ceteræ, quartum historia auctorum ipsorum, librorum que ab iis scriptorum. Nam horum, quos le-

A 5

gere

gere volueris, auctorum nosse & vitam & mores, editionumque utilium habere notitiam, imprimis opus est: vel quod ipsi Antiqui ad se invicem respicere, alias de alio loqui solet, idque saepe obscurius. Adolescens igitur Græcorum studiosus habeat librum, quem de quovis subinde auctore possit consulere. Utatur igitur Harlesii introductione in historiam linguæ Græcæ. Recensum dat omnium scriptorum, quorum opera aut fragmenta ad nostram pervenerunt ætatem, qui sunt numero CCCLXV, præter ecclesiasticos; agit de singulorum ætate, vita, scriptis, horum editionibus, inde librorum & pretio, variisque subsidiis, additque postremo, ubi plura de singulis possint peti. Compilavit quidem Harlesius Fabricium aliquosque, sed non male. — Geographiam antiquam haurire potest aut ex Plinio, aut ex antiquitatum compendio, mox indicando: pleniorum autem ex Græcis ipsis, deinceps nobis laudandis, cum primis ex Herodoto, sibi comparabit, exhibitis tabulis geographicis, quarum ex numero nos tironum studiis aptas putamus Danvillanam & Homannianam Graciæ, Hasianam Asiæ minoris &c.

&c. — Antiquitatum autem scientiam, is, quem instituimus, paret sibi ex Bosii earum descriptione: quam ex auctòribus ipsis, modo animum adverat, augere potest. Ita libellum putamus suffictrum. Rerum tamen antiquarum studiosiorum, quique accuratiorem, quas legunt, rerum omnium in animo sibi volunt informare notionem, horum studiis præclare potest inservire Potteri Archæologia a Rambachio versa Germanice & aucta.

vii. Historiarum vero Græcarum nullum me posse video nominare librum, studio Classico inservientem & manualem. Quod si tamen aliquem saltem harum rerum gestarum expositionem a me requirat litterarum studiosus, suadetrem huic ut Gilliesii, Angli, legat opus, in quo Germanice vertendo nunc quidem sudat Breitenbauchius. Sed alia ratione, eaque meliore, si nos audiat, discet iuvenis historias ad studia hæc sua omnino necessarias. Tabellas igitur aut breviarium rerum earum aliquod non adeo difficile erit, aut a magistro suo aut ex libro a-

liquo

liquo petere vulgari. Habet talem historiarum Græcarum adumbrationem etiam Bosius in libello modo indicato. Sic habebit, quo, tanquam filo, utatur, ad inveniendum ceterarum quoque rerum nexum, scientiamque suam paulatim augendam. Atqui eam augebit ipsis Antiquis legendis, si modo eos, quos statim dicemus, eaque ratione, qua censemus, velit pertractare. Nam ex nostra quidem sententia, longe est utilius reique convenientius, omnium earum rerum, quæ Antiquos legenti viam muniant, cognitionem ex ipsis eorum libris haurire, præmissis modo libellis manualibus, quales nos indicavimus, quam ex recentiorum operibus tam vastis, insulseque plerumque scriptis.

VIII. Vulgo tironibus libros commendant omnium minime idoneos, ut Epictetum, Plutarchi pædagogiam, Cebetis tabulam, Chrestomathias, &c. Sed indocti sint necesse est, qui iis, qui elementa sermonis nondum satis tenent, libros censemant legendos, quos viri sæpe barbati ne intellectu quidem assequuntur. Chrestoma-

stomathias imprimis non possum non improbare. Nam primum iuvenum animi in legendo delectandi & grata tenendi sunt exspectatione: quod frustulis illis fieri non potest; deinde tirones nimis diu, nimis multas in tali libro inveniunt sermonis difficultates, ob stili rerumque varietatem: qui si integrum aliquem uno totum tenore legant scriptorem, vehementer gauderent, in medio iam cursu tam facile se posse progredi, quod maximum est industriae & erga studia amoris incitamentum.

VIII. Quinam igitur legendi sunt? — nempe ii, qui quasi aditum ad universam Græciam possint patefacere, h. e. quibus diligenter perfectis, Græcorum auctorum omnis generis facilis foret lectio. Hunc enim finem habebat is, quem nunc instituimus. (§. III.) Differunt autem auctores, si ad difficultates, quibus eorum impeditur lectio, respicimus, aut *dialecto*, aut *etate*, aut *argumento*, quod tractant. Sunt enim, quos non intelligas, nisi dialectorum a communi satis diversarum peritus, h. e. iōnicæ & doricæ. Legendus igitur in utroque genere.

iarum
in li-
tan-
arum
paul-
s An-
dice-
t per-
tentia,
nnium
n mu-
hauri-
quales
operi-
iptis.

nmen-
tetum,
Chre-
le est,
satis
i sāpe
Chre-
stoma-

genere scriptor. Deinde cum ex duabus ^{maxime} æstatibus, quarum una Alexandri Magni, altera Constantini Theodosiique præcedebat tempora, libri ad nos pervenerunt & multi & præclarissimi, orationis autem habitu & rerum quasi scena multum a se invicem diversi: utriusque ætatis scripta aliquot legantur necesse est. Ex argumento denique difficiliores sunt utriusque & tragic & philosophi, quos, alios liceat aliquis legerit, intelligere recte nondum potest. Ceteræ vero scriptorum ratione argumenti varietas legendi eos facilitatem non videntur posse impeditre. Mathematici e. g. propriam linguæ curam non requirunt. Nemo igitur credat, habere se linguæ Græcæ, omnium principis, scientiam, nisi qui unum pluresve ex unaquaque harum classium diligenter cognoverit scriptores.

x. Sed videamus quinam potissimum ex his sex classibus sint legendi? in qua quidem re tres, arbitror, spectandæ sunt rationes. Nam primum meminerimus, omnem seriæ lectionis finem esse, ut alamus & colamus animum ingeniūm.

niumque, usū scilicet & quadam cū magnis
 viris & librorum & rerum descriptarum aucto-
 ribus contracta familiaritate; deinde hunc quem
 instituimus, iuvenem præterea id quoque agere,
 ut sibi universas Classicorum patefaciat sedes,
 denique, eundem, utpote ingentium hominem,
 artibus etiam solidioribus iam esse instruendum,
 sed liberalibus, sed ætati huic & humanitati ap-
 tis, arte nimirum bene eleganterque dicendi &
 scribendi, arte item poetica, artium quoque om-
 nium regina, ethica: quarum vero omnium,
 imprimis ethices basis & materies cum sit hu-
 manæ naturæ cognitio, appareat, ad tales quo-
 que eligendorum librorum esse circumspicien-
 dum, ex quibus ea possit hauriri vel augeri.
 Ex prima autem illa ratione sequitur, ex opti-
 mis maximorum ingeniorum scriptis deligere
 iuvenem oportere. Nam plurimum refert, qui-
 bus rebus integri imbuantur animi, præsertim
 cum his quos legunt primis diutius maiorique
 nisi mentes eorum incumbant, quam illis aliis;
 multitiae autem est insignis, magnam animi con-
 tentionem, magnas vires consumere nugis. Al-
 tera

maxi-
 gni, al-
 t tem-
 & præ-
 n quasi
 iusque
 t. Ex
 que &
 aliquis
 Cete-
 varieta-
 posse
 linguae
 credat,
 nicipis,
 quaque
 ptores.
 lim ex
 lem re
 Nam
 onis fi-
 inge-
 nium.

teria deinde, quam posuimus, eligendorum librorum ratio, eo spectabat, ut historiarum Græcarum, ex ipsis suis Græcis, tanquam puris fontibus, iuvenis hauriat notitiam. (§. vii.) Ut igitur sex illarum classum servemus ordinem, legendi sunt scriptores: *dialecti ionici* Homerus, Herodotus, *dorice* Theocritus, *atatis ante Alexandrum* Xenophon, Thucydides, Demosthenes, *atatis ante Constantimum* Herodianus, Arrianus, hic in Historiis, Lucianus, Plutarchus, *stili tragici* Euripides, *sermonis philosophici* Aristoteles & Diogenes Laertius. Volumus hos legi *integros*, nisi quod Demosthenis, Plutarchi & Aristotelis vel nonnulli sufficient libri ad hoc quidem studium, quo ad Græcas litteras preparari volumus studiosum. — Ex Aristotelicis Rhetorica & Magna quæ vocant moralia censemus primum legenda: ex Laertio librum septimum cum decimo; illum, quo Stoicam, hunc, quo Epicuri philosophandi rationem dictionemque cognoscat. Hæ erunt partes studii Græci, sed non opus est, ut primam prius absolvas, quam incipias alteram. Quin leges ordinis feramus iam ipsas.

XI. Incipiendum ergo est, ut in omnibus,
 sic in his a facilimis iisque quæ ad altiora viam
 possint facere. In serie etiam & ordine rerum
 agendarum spe*ct*andum est, ut similia similibus
 adiungantur, cumque causæ in rebus gestis sint
 prima, historia autem ceteris Grecorum studiis
 sit necessaria, post prima initia historici iam su-
 mendi iique secundum temporum, de quibus
 narrarunt, seriem tractandi sunt. Denique pru-
 dentiae est, scripta illa elegantiora, quæ res phi-
 losophicas fabulis historiisque tradunt, ipsis præ-
 mittere severioribus philosophorum libris, „ne —
 quod est apud Plutarchum — „ut qui e tene-
 bris prodeunt in solem, ad ardua eorum di*cta*
 „stupefiant, sed, postquam oculorum aciem in
 „luce adulterina subobscurusve locis confirma-
 „verint, splendorem possint tolerare, sive ne ma-
 „lo occupati præ*jud*icio, sed aliqua ad eam præ-
 „paratione informati, familiariter amiceque a
 „poesi transeant ad philosophiam.“ Scriptorum
 ergo a melaudatorum quatuor constituo genera;
 primum faciunt Herodianus & Homerus, se-
 cundum historici, tertium reliqui poetæ cum li-
 bris illis prælaicis elegantissimis Xenophontis,
 Luciani, Plutarchi, quibus addendus est & De-
 B mosthe.

mosthenes; quartum philosophi. Totidem etiam' quasi sui studii cursus faciat adolescens, quos omnes intra triennium videtur posse finire, nisi forte nimis tardus sit ingenio, labori que inimicus.

xii. Sed brevia nunc aliquot & varia li-
ceat nobis addere de tractandorum auctorum ra-
tione præcepta. (a) Auspicandum igitur ab He-
rodiano, quem & sermonis communis facilitas
& lucidus narrandi ordo cum quadam rerum
exspectandarum delectatione commendat. Ho-
merus sequatur æque facilis intellectu; qui cum
initia quasi historiarum habeat, a ceteris vero
omnibus ubique allegetur & laudetur, ad alias
que res sœpiissime traducatur, consilii est, ut iam
nunc legatur, poeta mirifice iucundus & qui a-
nimos iuvenum integros ingenti Græcorum a-
more implere possit.— (b) In utroque vero
legendo vocabula, quæ ope lexici inveneris, cum
significatu chartis mandare ac subinde relegere,
præcipuum memoriae est auxilium.— (c) Edi-
tionibus utatur, quæ sunt absque versionibus
Latinis; hæ enim, præterquam quod sortis sint
pessimæ, faciunt, ut nunquam propriis viribus
niti possis. Nulla mehercule capitalior hæc stu-

dia

dia pestis potuisset invadere, quam illæ versiones. Antiquas igitur seculi decimi sexti conquirat sibi editiones, quæ ab his ignavorum adminiculis solent esse liberæ: neque compendiis scribendi deterrei se patiatur. — (d) Quando in libris duobus primo tempore legendis versatur, non negligat post duos tresve semper dies repetere quæ legerit. — (e) Singulorum scriptorum decem aut viginti priores paginas, calamo adhibito, vertat in sermonem patrum. — (f) Historicos velim ita legat, ut semper advertat, sicubi aliquid narratur, quod ad humanæ naturæ cognitionem facere possit, idque in certum aliquem chartæ scriptorix librum, sive, quod placebat Leibnitio nostro, in singulas coniiciat schedas. — (g) Faciat sibi omnium, quæ ab illis quinque auctoribus proditæ sunt, rerum gestarum conspectus sive breviaria: quo facto contextam omnium antiquarum gentium habebit historiam. — (h) Linguæ autem patriæ cognitio haud vulgaris opus est huic, quem fingimus, Græcorum studio. Nam tum denique scire se Græce existimet, quum Græca patrio sermone possit sive vertere sive exprimere. Perpetua eorum cum Germanicis comparatio, utriusque

linguae peritiam reddet & pleniorum & accuratiorem; sed ut Graecam Germanicæ auxilio perficiat, in hac sua non debet esse rudis. Quam obrem libri vera Teutonica indolis subinde & plus vice simplici tractandi sunt. Eminet autem, ut constat inter omnes, in stilo patrio ingenuaque Germanice dicendi ratione Lessingius: cuius scriptis multa quoque litterarum humaniorum loca sunt illustrata. — (i) Hoc tamen certissimum est, usuque confirmatum, Graecis in patriam linguam transferendis stilum optime exerceri, orationisque facultatem parari, praesertim si ii, qui a nobis dicti sunt, ad hunc adhibentur usum. Nam & copiam & de omnibus dicendi potestatem unde quis rectius peteret, quam a duodecim a nobis indicatis auctoribus, qui tam varii & copiosi esse videntur ut ipsa pene rerum natura? nam nihil est in omni vita & publica & privata, quod quidem homini cordi esse soleat, quin boni illi elegantesque viri sint de eo similiue aliqua re in operibus suis loquuti. Proprietate vero & perspicuitate & a Graeca ceteræ vincuntur linguae, & quos nominavimus ii quidem in eo longe principes sunt. Trium quoque orationis five generum five formarum, te-

nus,

nus, mediocris & grandis, in his exemplaria habemus præclara. — (k) Non solum tamen dictionis elocutionisque naturam ex Græcis dis- cere licet, sed maiorem etiam differendi de rebus artem & rationem, quæ orationis prosaicæ lumina cum gratiis elegantiisque poeseos habebat coniuncta; quæ quamquam proprio adhuc careat nomine, artium tamen elegantiorum qua- si fastigium videtur: cuius vim & notionem ex Xenophontis opusculis quibusdam, maxime vero ex Luciano formare possumus. Videat igitur, inquiratque adolescens, quibus tandem artificiis in singulis suis compositionibus usus sit; & tum, vi rei percepta, materiaque rerum scribendarum congesta, & ipse talia studeat componere. — (l) Quod quo possit facilius, totam iam ab Aristotele dicendi discat rationem. — Quanquam enim pro nostrarum rerum publicarum forma e foro curiaque recessit eloquentia, attamen artis tam divinæ instituta a veteribus nobis relicta ad scribendi bene eleganterque u- sum ita possunt a prudentioribus tradici, ut omnes Tullianæ orationis virtutes, omnem elo- quentiaz vim, omnem rerum magnitudinem, omnia denique verborum pondera ad amplum qua- si lectorum adhibeant auditorium. — Volumus autem, adolescentem, cui his consulimus, Ari- stotelica incipere potissimum a Rhetoricis, prop- pterea quod ex facilitioribus sunt intellectu, & quod sic commode ad cetera intelligenda philosophi scri-

scripta videtur posse informari: nam multarum in iis inveniet definitiones rerum, quæ in eiusdem Logicis, Ethicis, Politicis, in arte quoque poetica frequenter occurunt. — Monemos vero adolescentes subtilium rerum amantiores, ut librorum philosophicorum a nobis ipsorum studiis commendatorum conscribant sibi summaria sive argumentorum expositiones, sed pleniores, in quibus non solum ponant breviter qua de re in quovis capite sit sermo, sed ipsa etiam quæ in demonstrationibus, descriptionibusve summa videbuntur momenta, omissis exemplis & iis omnibus, quæ ad ornatum magis, quam ad sententias spectant. Multi laboris res est, fateor; sed nulla utilior, nulla, qua verus studiorum horum profectus, altioribus nixus radicibus, possit parari. Rhetorica tamen, de quibus paullo ante loquuti sumus, Aristotelica primum malumus integra verti Germanice ab adolescentibus, qui, nostra hæc confilia secuti, & multum iam stili usum habuerint, & Lessingii diligenter revolverint scripta. Nam nec mediocris linguae patriæ scientia ad hanc rem est suffictura, nec puerilem aliquam sed masculam Stagiritæ volumus interpretationem; quamquam non statim desperare iubemus iuvenem ingeniosum: exercitio enim vertendi ipso, stili philosophici sibi parabit facultatem. — (m) Non inutilem ad cognoscendam in ætate matuoriore philosophiam putamus hunc suassisse laborem, sed ut

ut ipsam rerum paret fibi scientiam paulo iam perfectiorem, iuveni vel ad vitam necessariam, accedat alia quædam opera. Cum enim a Cicerone de præcipuis antiquæ sive Græcæ philosophiæ locis disputationes habeamus relictas, quibus summa cura fideque Græcorum exposuit sententias, cumque ii, quibus hoc factum est, libri magna optimarum rerum referti sint ubertate, admirabilique elegantia compositi: censemus aliquot adolescenti esse legendos, cumque Greecis coniungendos. Decimo igitur Laertii libro, qui est de doctrina Epicuri, adiiciat Ciceronis primum & secundum de finibns; septimo autem libro, qui brevem Stoicorum habet delineationem, eiusdem operis tertium, addita etiam, si placet, quarta quæstione Tusculana Moralia denique Aristotelis videat an ex Ciceronis de finibus quinto accipient lucem. — Tum denique iustum philosophandi tenebit vim: a qua ii longe videntur esse remoti, qui litterarum Græcarum expertes, antiquis illis sapientiæ non usi sunt monumentis. — Nam quotusquisque est, qui, cum in Academiis usque librorum novorum discere voluerit philosophiam hodiernam, de eius ad animi cultum utilitate, magnum aliquid possit prædicare? Qualia vero tandem Cicero, iudex harum rerum acerimus, prædicavit de Græca? „O vitæ, inquit, „philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed

om.

„omnino vita hominum sine te esse potuisset?
 „— ad te confugimus; a te opem petimus:
 „tibi nos, ut antea magna ex parte, sic
 „nunc penitus, totosque tradimus. Est autem
 „nunus dies bene, & ex præceptis tuis actus, pec-
 „canti immortalitati anteponendus. Cuius igi-
 „tur potius opibus utamur, quam tuis? quæ &
 „vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terro-
 „rem mortis sustulisti.“

Nos vero nihil est, quod quis inconstantia
 arguat dicative, Academicorum Carneadea a no-
 bis relista esse castra, quod his hostiles aliquas
 & contrarias studiis iuvenum laudaremus disci-
 plinas. Nam si plures variasque discrepantium
 philosophorum disciplinas studiis commendamus
 adolescentium, pro nostra differendi ratione vel
 maxime pugnamus, eique consulimus; sin vero
 alia nobis probaretur philosophia, tum laudaturi
 fuissimus unam aliquam & certam, severam for-
 te porticum, amcenave Epicuri viridaria.

Discipulorum, qui in hoc examine nonnulla ex suis lectionibus iterabunt, nomina hæc sunt:
 F. Kummer, F. L. Behr, L. A. Behr, L. Bæntsch,
 Cotheniensis, K. Schräter, Nienburgensis, C.
 A. Bramigk, Cotheniensis, F. Behr, Kleinwülk-
 nitiensis, I. A. Richter, Scheudero-Dessaviensis,
 & G. Kohl, Fürstenbergo-Brunswicensis. Orati-
 unculas habebunt omnes, & primus quidem, se-
 cundus & quartus a seme tipis elaboratas.

AB 155562

ULB Halle

005 301 36X

3



Sb.

R



6


Græcarum

ulōs,

o. ant. habendo

ectore.

ndorf.



Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.